



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Responsiones Scriptæ A Philippo Melanthere Ad Impios Articulos Bauaricæ Inquisitionis

Melanchthon, Philipp

Vvitebergæ

VD16 M 4171

VI. An credant Catholicam Ecclesiam apud h An osesse, qui nunc aduersantur Romanæ Ecclesiæ, & Episcopis, qui ut præsumunt ordinaria succeßione: An uerò apud illos Christianos, qui nominantur Catholici, ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-36288**

est dissimilitudo in ritibus humanis. Quare adfirmamus, nos nec discedere nec discessisse à Catholica Ecclesia, quæ Symbola amplexa est, Apostolicum, Nicenum & Athanasianum, Nec à Patribus, Irenæo, Ambrosio, Augustino, Prospero & similibus, etiamsi qui ritus humani tunc alij fuerunt. Semper enim aliqua dissimilitudo rituum humanorum fuit, Sed à Pontificijs ut discederemus, necessaria causa est, quia scriptum est: Fugite Idola. Item: Si quis aliud Euangelium docet, Anathema sit. Item: Blasphemia Spiritus non remittetur.

## VI.

An credant Catholicam Ecclesiam apud hos esse, qui nunc aduersantur Romanæ Ecclesiæ, & Episcopis, qui præ sunt ordinaria successione: An verò apud illos Christianos, qui nominantur Catholici, & retinent vnitatem

Ecclesiæ, obediens vni Romano Pontifici.

**R**espondeo perspicuè, Ecclesias nostram confessionem amplectentes uerissimè esse membra Catholicæ Ecclesiæ Dei, & hoc tempore ueram Dei Ecclesiam, iuxta dictum: Oues meæ uocem

uocem meam audiunt. Et in his nostris cœtibus uerè sunt electi multi, iuxta dictum: Quos elegit, hos & uocauit. Et multorum confessio in supplicijs ostendit præsentiam Spiritus sancti. Ac doctrinam nostrarum Ecclesiarum congruere cum ueteris & purioris Ecclesiæ sententia, fateri necesse est eos, qui dextrè iudicant. Nec ideò nostræ Ecclesiæ non sunt membra Catholicæ Ecclesiæ Dei, quia in aliquibus est infirmitas & ignorantia aliqua, qui tamen retinent fundamentum, & sunt dociles, nec oppugnant agnitam ueritatem, quia de infirmis scriptum est: Infirmos assumite. Item: Alius supra fundamentum extruit stipulas.

De altera parte Articuli distinguo. Certissimum est defensores Idolorum & errorum pugnantium cum mandatis diuinis & Articulis Fidei, præsertim patefacta ueritate, non esse membra Catholicæ Ecclesiæ Dei, ut apud Iudeos Blasphemi & Parricidæ, qui aduersabantur Christo & Apostolis, non erant membra Catholicæ Ecclesiæ Dei. Tales nunc sunt Pontifices Romani & eorum satellites, qui agnitæ ueritati aduersantur, & seuiiciam exercent in homines pios. Fuerunt autem ante hanc lucem Euangelij multi sub eis, ut Bernhardus, Bonauentura, & alij multi, qui etsi habuerunt contagia errorum, tamen de fundamento melius senserunt quàm pleriq; alij. Taxarunt etiam crassos  
erro

errores. Hos confugientes ad misericordiam, & deplorantes ignorantiam suam, fuisse membra Catholicae Ecclesiae, non negamus, ut etiam sub impijs Pontificibus & Phariseis scintilla uerae doctrinae in Nicodemo, Phariseo & alijs multis similibus fuit, qui dociles erant, & ueritatem querebant. Si qui nunc tales sunt exorta luce Euangelij, qui tamen infirmi sunt, hos hortamur, ut discant doctrinam patefactam, & uincant infirmitatem suam, nec suo exemplo stabiliant Idolorum cultus & errores, iuxta dictum: Fugite Idola.

## VII.

*An credant, sancta ὀικουμένη Concilia in causis Fidei, quorum sententiae postea ab uniuersa Ecclesia receptae sunt, errasse? Et an liceat decreta eorum rursus in dubium vocare?*

*Respondeo de secunda parte.*

**S**I quid ulla Synodus decreuit contra mandata diuina, seu contra articulos Fidei, necesse est illud decretum taxare. Vt cum proxima Tridentina